

perturbatores esse justitiæ, qui summè diligis æquitatem : ut sinistrum nos non ignorantie trahat, non favor inflectat, non acceptio muneris vel personæ corrumpat ; sed junge nos tibi efficaciter solum tuæ gratiæ dono, ut simus in te unum, et in nullo deviemus à vero ; quatenus in nomine tuo collecti, sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis justitiam, ut hic à te in nullo dissentiat sententia nostra, et in futuro pro bene gestis consequamur præmia æterna.

Respondetur ab omnibus : Amen.

OREMUS.

Omnipotens sempiterne Deus, qui misericordia tua nos incolumes in hoc loco specialiter aggregasti ; mentes nostras, quæsumus, Paraclitus, qui à te procedit, illuminet et inducat in omnem, sicut tuus promisit Filius, veritatem ; cunctosque in tua fide et caritate corroboret ; ut excitati à temporali Synodo, proficiamus ad æternæ felicitatis augmentum. Per eundem Dominum.... in unitate ejusdem.... Amen.

Finita oratione, Pontifex, accepta mitra, procumbit supra foldistorium prædictum, aliis omnibus genuflectentibus ; et cantores dicunt Litanias.

LITANIE.

Kyrie, eleison. Christe, eleison.

Kyrie, eleison.

Christe, audi nos. Christe, exaudi nos.

Pater de cœlis Deus,

miserere nobis.

Fili redemptor mundi Deus,

miserere.

Spiritus sancte Deus,

miserere.

Sancta Trinitas unus Deus,

miserere.

Sancta Maria,

ora pro nobis.

Sancta Dei genitrix,

ora.

Sancta Virgo Virginum,

ora.

Sancte Michael,

ora.

Sancte Gabriel,

ora.